



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

§. 29. Benedicti Ubaldi Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

qui a Sede Apostolica est præscriptus, Sæc. XVII. A. C. 1644.
 liceat Officium hujusmodi solemniter celebrare quoad pompam exteriorem, non autem quoad ritum Ecclesiasticum. Jussit quoque eadem Congregatio die quarta Junii, ut reprobato duplicis turribuli usu Cæremoniale Episcoporum servetur: declaratum insuper die decima sexta Augusti. quod Abbatibus Cassinensibus non liceat consecrare Altaria, nisi pro usu propriæ Ecclesiæ, & Religiosorum ejusdem Ordinis tantum. Sacra vero Concilii Congregatio die decima quinta Octobris decidit, quod Regulares, postquam ab aliquo Ordinario pro excipiendis Confessionibus sæcularium sunt approbati, si transferantur ad commorandum in familia alterius monasterii sui Ordinis extra Diæcesin, in qua fuerunt approbati, non possint ibidem audire confessiones subditorum præfatæ Diæcesis, in qua morantur.

§. XXIX.

Benedicti Ubaldi Cardinalis obitus.

Regnante adhuc Urbano VIII. Papa Ciattus in Annal. Perus. Ciacon. in vita Urban. VIII.
 ex Purpuratorum Collegio tres vi-
 vis ereptos legimus. Horum primus
 erat Benedictus Ubaldus Nobilis Per-
 sinus, qui Patruum sui cura, Romæ in

F 3

probi-

Sæc. XVII. probitatis cultu, & Jurisprudentiæ scienti-
A. C. 1644. tia eminuit, ac per aliquot annos Ad-
 vocati munere functus, tandem Rote
 Romanæ Auditor, ac demum Cardi-
 nalis & Perusinus Episcopus necnon Bo-
 noniæ Legatus a latere renuntiabatur,
 quæ omnia munia summa integritate
 & maxima populi utilitate obibat: Ad-
 ministrabat quoque Ecclesiam suam in-
 credibili gregis sui applausu usque ad
 annum Christi millesimum sexcentesi-
 mum quadragesimum secundum, quo
 eam Horatio Monaldo germano Fratre
 suo cessit: demum vero sexagenarius
 in summa egestate die vigesima Janua-
 rii Perusiæ decessit.

§. XXX.

*Alexandri Cæsarini Cardinalis
extrema.*

*Ughell. Ital.
 Sacr. Visto-
 rel. in add.
 ad Ciac.*

Alter erat Alexander Cæsarinus No-
 bilis Romanus, qui Parmæ expleto
 Philosophiæ curriculo Romam reversus
 Jurisprudentiæ operam dedit; sacris
 postea Ordinibus initiatus, Juris utrius-
 que Doctor, Signaturæ Referendarius
 Cameræ Apostolicæ Clericus, ac tan-
 dem Cardinalis & Episcopus Viter-
 biensis nominabatur: Huic Ecclesiæ
 restituto Seminario, nonnisi duobus
 annis, cum magna tamen laude præ-
 fuit.